



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Joannis Maurittii Gudeni Historia Erfurtensis Ab Vrbe Condita Ad Reductam

Gudenus, Johann Moritz von

Erfurti, 1675

X.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11903**

vere consuevit, cumque à dextra ripæ sub altissimis præcipitiis fons crySTALLINUS ebulliat, amœna solitudine loci captus, ubi præcipitia recedunt in sinum, altare sancto Martino sacrum erexit, ac addictis postea jugeribus, cum angustia, & sterilitas peculiarem monachorum cœtum non aleret, cœnobio S. Petri donavit.

Verum ut ad Ludovicum II. revertar, eidem Moguntia Vicedominatum crediderat, igitur patriis artibus insistens, contemptis hinc inde castris (a) Imperium sibi firmat. \* Attamen pro Domino † multa etiam contra Cæsarem Henricum V. fortiter egit, à quo per Hojerum comitem in Mansfeldt, exercitûs Ductorem oppressus, vix se fugâ sustulit. Primus ille (b) salientes † in monte D. Petri aquas de assurgente versus occidentem colle per plumbeos canales duxit. Alii (c) Wernero cœnobii Abbati Hirsaviâ postulato adscribunt: & quoniam in lapide excisus leo aquas vomitat, fons leoninus appellatus est.

\* Sedit (d) hoc tempore Adalbertus variæ fortunæ princeps, hic odiosam decimarum exactionem † iterum suscitabat, non sibi, sed altari se petere dicens: atque ut hoc ipsum subditis persuaderet, de jugeribus suis decimas Ecclesiæ B. M. Virginis, quæ

## IX.

\* MCXIII.  
Ludovicus  
Saltator pro  
Moguntino  
belligerat.  
quad res.

Salientes a-  
quæ ad mon-  
tem D. Petri  
ducuntur.

## X.

\* MCXXIII.  
Adalbertus  
decimas exi-  
git.

(a) Chron. Thuring.

(b) MS. Chron. Erfurt. anon.

(c) MS. Petrense.

(d) Chronica Thur. hoc anno.

*Solus Ele-  
ctor in Thu-  
ringia deci-  
mas solvit,  
& cur?  
Thuringi  
postulatum  
Præfulis  
abnuunt.*

*Renunciat  
Electo pro  
se, posterisq;  
juri deci-  
mandi.*

*Montem S.  
Severi tras-  
laris illinc  
vestalibus in  
Castellum  
munit.*

*Clerici ad S.  
Severum in-  
troducun-  
tur.*

quæ tunc sola in Urbe parochialis erat, perfolvit. Hinc est, quod hodie dum ArchiEpiscopales illi agri, solusque Elector † in Thuringia decimas solvat. Aliud exemplum Præfulis fraudem interpretatiuricolæ non sequebantur, cumque vidigerentur, † arma corripunt, & concitatâ iterum universâ provinciâ mori potius, quàm decimas solvere decretum est. Sub Ductu comitis Henrici seditioforum 20000. Erfordiam cum armis accedebant, in ea ArchiEpiscopum, ut pro se, posterisque juraret, ne decimarum unquam mentio fiat, coacturi. Favebant cives communi causæ; cum igitur parum præsidii Adalberto superesset, † in omnia consensit, nec successores atrocitate eventuum territi decimas unquam exegerunt. Didicit Adalbertus, quam modicum fiduciæ in plebe ad cujusvis causæ favorem mutabili sperandum sit. Igitur vi continendos esse ratus, qui imperio non possent, (a) montem † S. Severi in castellum muniit, atque cum in eo moniales S. Benedicti habitarent, inutilis autem esset ille Sexus in arce, monasterium in monte extrâ Urbem extruxit, inque illud, quod à patrono S. Cyriaco postea nomen accepit, moniales transfudit, ac Clericos † reposuit, quibus leges ac disciplinam præscripsit, dotavit etiam ampliore censu,

(a) Anon. Chronicon. Thuring. MS. Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, & MS. Chron. Petr.

cenſu, ac de prædiis iis, quæ his annis libertate donaverat, canonum partem ceſſit. Quippe (a) fuerant hæcenus Urbis fundi ArchiEpiſcopo ministeriales, ꝛ ipſi cultores glebæ adſcripti. Adalbertus illis & his libertatem conceſſit, annuo tantum cenſu reſervato. Hic magnam partem Electorum liberalitate in Eccleſias, milites, horumque pactis in plebem etiam pervenit. Illuſtrior geſtæ rei memoria ab ijs prædiis exhibetur, quæ nummis argenteis datam libertatem annuè redimunt.

*Origo der  
Grenzins,  
ſen.*

Moriens Ludovicus II. ꝛ piuguem hæreditatem ad filium Ludovicum tertium tranſmiſit, qui ſimiliter vices Moguntiæ in Thuringia geſſit, & cum patriis, avitiſque opibus generoſitatem, & militiæ peritiam addidiſſet. Imperatoris Lotharii ꝛ filiam Hedwigem uxorem obtinuit, (b) ſimul ex conſilio Principum Imperii, ipſi uſque Adalberti ArchiEpiſcopi Moguntini conſenſu \* Landgravius ꝛ in Thuringia & Haſſiâ à ſocero creatus eſt. Non deerant idipſum Moguntino prudenter diſſuadentes: miniſtros Reip. ꝛ pedes eſſe, qui graciles ad obſequium reliqui corporis prompti, difficiles cum intumeſcunt. Eſſe eas Ludovico opes, quæ cum crescentes impediri debuiffent, jam ſerâ pœnitentiâ metuantur, ſique novo honore illuſtrarentur, facile populum obcœcantes à

**XI.**  
*Ludovico  
II. ſuccedit  
ſilius ejuſdē  
nominis in  
hæreditate  
& Vicedo-  
minatu.  
Matrimo-  
nium cum  
ſilia Ceſa-  
ris inſit.  
\* MCXXX.  
Creatur  
Landgravi-  
us in Thu-  
ringia.  
Moguntia  
interſe in  
hoc negotio.*

(a) Extant documenta in Archivis.

(b) *Histor. de Landgravis Thuringiæ c. 18.*